

175. Jonas an Luther.

1530. Juni 13.

Von der Aufnahme, die Luthers Schrift „Vermahnung an die Geistlichen“ in Augsburg findet; eine Aeusserung Fabian von Feilitzschs. Widerspruch der Sacramentirer. Wie ein Augsburger Joh. Fabri dupiert hat. Gespräch Mel.'s mit Heinrich von Braunschweig. Auch Cochleus redet gemässiger. Beileidsbezeugung wegen des Todes von Luthers Vater.

G. et pacem Dei in Christo. Ante octiduum tuum librum ad ecclesiasticos praelatos¹ hic in comitiis congregatos attulit huc quidam bibliopola, chariss. mi pater, et venum exposuit exemplaria vC, quae mox suos habuerunt emptores. Mira enim aviditate rapiebantur etiam ab adversariis, qui cupierunt cognoscere, quid auderes nunc scribere, sicut ipsi interpretantur, adventu Caesaris conterritus. Quid aliud putarent nunc hoc tempore cogitaturum aut unquam scripturum te quam palinodiam et deprecationem supplicem: eam nunc, nisi me omnia fallunt, habent probe perscriptam plane Lutherana pusillanimitate et numeris omnibus (ut pii optare possint) elaboratam, bene subactam et absolutissimam. Recte dixit d. *Fabianus* a *Feilitzk* de praefatione praefixa libro de libertate christiana: „Si tam facile possunt placari papa et episcopi, cur non citius hoc genere pacificationis invitati sunt ad pacem et concordiam?“ Sed extra iocum, mi pater, non dubito dominum per te locutum esse in hoc libello. Multis exemplis didicimus pharisaeos sedate² rogatos insolescere, liberius obiurgatos tolerabiliores fieri. Putabam fore ut hoc tempore mirabiliter irritarentur et ad acerbiora odia inflammarentur quorundam animi hoc liberrimo bene aculeato et ut ipsi dicunt vehementissimo scripto, sed Dei gratia video in te vincere Christum et sapientiam ac os tibi datum esse, praesertim in articulo necessitatis, cui resistere nec³ possunt nec audent. Ex⁴ omnibus contradicentibus nobis video hac tua inexpectata mirabili et potentissima apologia sic esse percussos etiam magnos, ut eam propriam vim veritatis ipsi esse semperque fuisse fateantur, nihil hiscere, nihil ut contra proloqui quis ausit. Calumniantur sacramentarii paene soli hunc librum dicuntque arte te quadam et obliquis modis supplicare; sed docti tamen illi ipsi multique ex eis negant quicquam⁵ esse in libello, quod non optimo animo summoque studio et ardore consulendi ecclesiis et reipublicae scripseris. Gratias Christo ago super inenarrabili dono eius.

¹ vrgl. den vorigen Brief.

² Vielleicht sedatius (Kolde); die Buchstaben sind verwischt.

³ Kolde: non.

⁴ Kolde: et.

⁵ Kolde: quicunque.